AUTHOR:

SCHABER.

TITLE:

DE NONNULLIS TAURICAE...

PLACE:

[S. L.]

DATE:

Master Negative #
92-80597-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET




Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B24459          Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B24459             RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:       AD:04-07-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:         UD:04-07-92
  CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:n      PD:    /           REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????    II:?
  MMD:      OR:    POL:    DM:     RR:         COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100     Schaber.
  245 00  De nonnullis Tauricae Euripdis Iphigeniae locis disputatio‡h[microform
        ].
  260     Druck von Georg Frommann in Glatz.
  300     32 p.
  LDG     ORIG
  QD      04-07-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Zu der am 13. August 1863

abzuhaltenden Prüfung aller Klassen

des Königlichen Katholischen

Gymnasiums zu Glatz

und zu der am 15. August, früh um 8 Uhr

stattfindenden

Schluss-Feierlichkeit

ladet ergebenst ein

das Lehrer-Collegium.

Inhalt: De nonnullis Tauricæ Euripidis Iphigeniæ locis disputatio.
Schulnachrichten. (Beides von dem Direktor.)

Druck von Georg Frommann in Glatz.

De nonnullis Tauricae Euripidis Iphigeniae locis disputatio.

Eorum, qui nunc criticam artem exercent, non pauci in emendandis ut ajunt veterum scriptis nimia quadam licentia grassantur; nam ingenio, quo sane abundant, indulgentes et nodum, ut est in proverbio, saepe in scirpo quaerunt, et praeconceptis opinionibus ducti haud raro ea ut parum commode dicta damnant et ejicienda esse censent, quae alii, quibus satis subactum de hisce rebus judicium inesse creditur, ita comparata esse contendunt, ut nihil dulcius nihil suavius dici potuerit. Quodsi ea, quae fere non sine magno ingenii acumine excogitarunt, in ephemeridibus literariis aut in notis editionum, ubi ejusmodi lusibus ingenii locus est, proposuisse satis haberent, ferenda quidem res esset, sed commenta sua neglecta prorsus codicum auctoritate in textum ingerunt, et multa, quae sine justa causa iis displicuerunt, temere ejiciunt. Pessime autem interdum cum poetis agitur, si quando illi critici novam aliquam rationem metricam in iis deprehendisse sibi videntur, cui quae refragantur, quamquam et multa et ejusmodi sunt, ut rerum et verborum contextum si spectas, carere iis nullo modo possis, tamen omnia ab interpolatoribus inserta esse dicentes resecare atque exterminare non dubitant; ita quum tandem miseros poetas ad justum, ut putant, modulum redactos ex Procrustae lecto dimittunt, fere fit, ut quos antea ob formae dignitatem semper admirati simus, jam multis cicatricibus obrutos et hic illic mutilatos vix agnoscamus. Verum quidem est, librariorum inscitia et negligentia tam saepe tamque graviter peccatum esse, ut interdum non nisi severiore quadam curatione adhibita malis, quibus affecti sunt libri manuscripti, mederi possimus; sed ea tamen pietate imbuti ad pretiosissimas

illas antiquitatis reliquias accedere debemus, ut manum abstinere quam id agere malimus, ut urendo et secando non medici sed carnificis munere functi esse videamur. Atque ea quidem modestia et verecundia eo magis commendanda est, quo saepius usu venit, ut, dum acri cum cura lenissima malorum remedia circumspicimus, vel vexatissimis locis aut interpretatione nonnunquam aut syllabae unius vel voculae mutatione salutarem ferre opem possimus. Cujus rei nonnulla hic exempla ex Taurica Euripidis Iphigenia petita proponere animus est.

A versu 15 inde Iphigenia causam, qua pater adductus ipsam immolaverit Dianae, exponens, vulgatam si sequimur lectionem, haec dicit:

Δεινῆς τ' ἀπλοίας πνευμάτων τ' οὐ τυγχάνων
εἰς ἔμπυρ' ἦλθε.

Merito hic grammatici in asyndeto offenderunt, quod ferri nullo modo posse jam Barnesius vidit, et prius *τέ* in *δέ* mutavit. Quod si recte factum statuimus, alterum etiam *τέ* locum habere non amplius posse liquet. Jam quaeritur, genitivi *ἀπλοίας* et *πνευμάτων* unde pendeant. Utrumque ad *τυγχάνων* referre id incommodi habet, ut, quum negatio ad alterum tantum genitivum pertineat, ad *ἀπλοίας* id ipsum participium cogitatione supplendum sit. Aliam igitur hujus loci explicandi rationem ineundam esse quum viderent interpretes, alii *δεινῆς ἀπλοίας* ad causam rei significandam cum verbis *εἰς ἔμπυρ' ἦλθε* conjunxerunt, alii pro temporis genitivo ut *νηνεμίας, γαλήνης, αἰθρίας* habendum esse dixerunt, quod tamen, quum ejusmodi genitivi nusquam cum adjectivis conjuncti occurant, hic statuendum esse non videtur.

Reiskius et G. Hermannus malaciam a Diana, ut Agamemnonem poena afficeret, immissam esse putarunt, quare alter *δεινῇ δ' ἀπνοίᾳ πνευμάτων ἐντυγχάνων*, alter *δεινῆς ἀπνοίας πνευμάτων δὲ τυγχάνων* scripsit. Harum autem conjecturarum neutra probanda est, nam ut omittam, quod multis veterum locis confirmatur, constantem famam obtinuisse, adversis ventis Achivos esse impeditos, quo minus Aulidis portum relinquerent, profecto malacia immissa minime, quod volebat, assequi potuit Diana, quo tempore homines tam parvis utebantur navigiis, ut ea vel tranquillissimo mari quoquoversus remis propelli possent. Ne locus quidem Sophoclis, quo Hermannus conjecturam suam commendari putavit Elect. V. 563

Ἐροῦ δὲ τὴν κυναγὸν Ἄρτεμιν, τίνος
ποινῆς τὰ πολλὰ πνεύματ' ἔσχ' ἐν Αὐλίδι.

nos cogit, ut de malacia cogitemus; nihil aliud enim dicit poeta, nisi Dianam diu secundos ventos cohibuisse.

Kirchhoffius *δεινὴ δ' ἄπλοι' ἦν· πνευμάτων δ' οὐ τυγχάνων,*
Nauckius *δεθεὶς δ' ἀπλοίᾳ, πνευμάτων τ' οὐ τ.*
Koechlyus in ind. lect. a. 1860 p. 7:

τυχὼν δ' ἀπλοίας πνευμάτων δεινῶν βίᾳ,

proposuit; sed hae conjecturae longius a librorum scriptura recedunt, quam ut probari possint. Mihi loci difficultas tolli posse videtur, si pro *οὐ* scribamus *ἐκ*, ut ita rei causa simul et effectus indicetur:

Δεινῆς δ' ἀπλοίας πνευμάτων ἐκ τυγχάνων
εἰς ἔμπυρ' ἦλθε.

Diram navigandi difficultatem ex ventis nactus (quos adversos fuisse voce *ἀπλοίας* satis declaratur,) ad ignispicia confugit; *ἐκ* substantivis, quae inde pendent, postponere epici sermonis proprium est, quem in narrationibus, qualis haec est, imitari solent tragici poetae. Recte etiam *δεινή* appellatur illa navigandi difficultas, perniciosa enim futura erat Agamemnoni, quum Achivi longae desidiae taedio capti jam de reditu in patriam cogitarent.

In iis, quae a versu 34 usque ad v. 41 leguntur, Iphigenia, quomodo sacerdos facta quidque muneris sibi injunctum sit, narrat. Librorum scriptura haec est:

Ναοῖσι δ' ἐν τοῖσδ' ἱερίαν τίθησί με,
ὅθεν νόμοισι τοῖσιν ἥδεται θεὰ
Ἄρτεμις ἑορτῆς, τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον,
τὰ δ' ἄλλα σιγῶ τὴν θεὸν φοβουμένη·
θύω γὰρ ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,
ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ·
κατάρχομαι μὲν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει
ἄρρητ' ἔσωθεν τῶνδ' ἀνακτόρων θεᾶς.

Versus 36 et 38 ut ab interpolatore quodam illatos ejecit Koechlyus, qua in re neminem, ut ego quidem puto, assentientem habebit, ea enim insunt, quae nisi ab ipso poeta profecta sint, addere postea vix cuiquam in mentem venire potuerit. Ii qui sibi persuaserunt, verbum hujus periodi finitum esse *κατάρχομαι*, pro *θύω* de Klotzii conjectura *θύειν* in textum receperunt; sed quamquam *ἀνακολούθως*, quae libri habent, dicta sunt, nihil tamen mutandum est; hoc enim dicit Iphigenia: In hisce templis sacerdotem me instituit dea, propterea secundum ritus quibus delectatur Diana, sacrorum, quorum species tantum honesta est, (reliqua taceo metu deae) immolo enim inducto jam prius in civitatem more, quicunque Graecus homo in

hanc terram venerit; initium quidem immolandi facio, caedes autem nefanda aliis intra parietes templi curae est. Genitivus *ἑορτῆς* paullo longius a substantivo *νόμοισι*, unde pendet, remotus est, quod, quae explicandi causa addita leguntur, *τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον*, non ad deam sed ad vocem *ἑορτῆς* referenda sunt. Jungenda igitur verba ita sunt: *ὅθεν νόμοισι τοῖσιν* — q. s. *θύω ὃς ἂν* — *ἀνήρ·* sed quae in parenthesi posita sunt, crudelem illum caedis morem, quem Herodotus l. IV. c. 103 pluribus describit, tecte significantia, in causa fuerunt, ut *γὰρ* post *θύω* adderetur, sui tamen quodammodo excusandi causa adjecit, jam prius quam ipsa in Tauros delata esset, illum morem invaluisse neque caedem se sed initium tantum immolandi facere. Errare autem mihi videtur Koechlyus, si ejectis illis duobus versibus nihil desiderari putat, nam nisi *τοὔνομ' ἧς καλὸν μόνον* praecederet, poetae certe in mentem non venisset adjicere *τὰ δ' ἄλλα σιγῶ*. Mihi per *ὄνομα* et *τὰ ἄλλα* externa et interna distingui videntur, ita ut de peculiari quodam sacrorum nomine cogitandum non sit. In asyndeto autem *κατάρχομαι μὲν* q. s. non erat quod offenderent grammatici; hoc enim non raro usu venit in epexegesi, quae vocatur, ut pauca alicujus rei explicandae causa sine copula ita addita legantur.

v. 65 . . . . *εἶμ' εἴσω δόμων,*
ἐν οἷσι ναίω τῶνδ' ἀνακτόρων θεᾶς.

Bergkius in Mus. Rhen. a. XVII. vol. IV. p. 588 vitium hic latere putat in voce *θεᾶς*, pro qua *πέλας* proponit adsentiente Koechlyo in praefatione editionis suae p. VI.; sed nihil mutandum videtur; primum enim eadem fere templi Dianae structura erat, quae quum aliorum tum certe ejus templi fuit, quod Pausanias l. X, 34, 7 his verbis describit: *Ἐπὶ τούτῳ τῷ λόφῳ τὸ ἱερὸν πεποίηται, καὶ στοαί τέ εἰσι καὶ οἰκήσεις διὰ τῶν στοῶν, ἔνθα οἰκοῦσιν οἷς τὴν θεὸν θεραπεύειν καθέστηκεν.* Ante oculos igitur quum haberent spectatores templum aedesque contiguas, nihil profecto causae erat, cur Iphigenia moneret, prope abesse domos, in quibus habitaret. Accedit quod *ἀνάκτορα* proprie appellata sunt palatia regum, unde postea demum hoc nomen translatum est ad domicilia quae putabantur deorum. Hinc haud dubie factum est, ut, quoties Euripides hac voce utitur, constanter aut *θεᾶς* vel *θεῶν* aut nomen ipsum numinis, cui dicatum erat templum, additum legamus. Ab hoc igitur poëtae usu sine idonea causa recedendum non est.

Postquam a versu inde 85 Orestes exposuit, quid sibi praeceperit Apollo, et quo ipse consilio in Tauros venerit, ex Pylade amico quaerit, quid jam faciendum esse putet. Duplicem deinde modum proponit, quo intrare templum et Dianae

effigiem inde rapere possint, aut enim in fastigium templi enitendum sibi scalis, ut ita corpora in imum templum dimittere possint, aut vi esse utendum effringendo vectibus portarum claustra. Libri haec habent:

v. 94. *σὲ δ' ἱστορῶ,*
Πυλάδη, σὺ γάρ μοι τοῦδε συλλήπτωρ πόνου,
τί δρῶμεν, ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς
ὑψηλά; πότερα δομάτων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν οὖν μάθοιμεν ἄν;
ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς;
ὧν οὐδὲν ἴσμεν.

Ἀμφίβληστρα τοίχων ὑψηλά sunt ipsi templi parietes ab omni parte alti. *Δομάτων προσαμβάσεις* non possunt esse gradus templi, quibus ad portas ascendebatur, nam per eos ascendendum esse, si portas vi effringere vellent, per se intelligebatur, neque erat, quod hoc ex Pylade quaereret Orestes; *ἐκβῆναι ἀμβάσεις* simpliciter est ascensu eniti in summum templum, quod quum parietes praealti essent, et ipsum difficile factu erat, et inde in imum templum demissuris corpora majorem etiam difficultatem objiciebat. Quomodo autem fieri potuerit, ut per gradus templi ascendentes clausas intrinsecus portas remotis repagulis aperirent, sane non liquet, immo vim adhibendam et effringendas fuisse admotis vectibus in aperto est. Pro *μάθοιμεν*, quod loci sententiae aptum non est, Reiskius *λάθοιμεν* scripsit, nec tamen ita rem intellectu faciliorem reddidit, nam quum unica spes latendi in eo posita esset, ut noctu rem tentarent, non erat quod Orestes ex Pylade quaereret, quomodo latere possent. Ad participium *λύσαντες* verbum finitum desideratur; itaque quum *ὧν οὐδὲν ἴσμεν* aperte corruptum sit, *μάθοιμεν ἂν* in *καθοίμεθ' ἂν* mutandum et recepta Badhemi conjectura *ὧδ' οὐδὸν ἔσιμεν*, totum locum sic scribendum esse puto.

Τί δρῶμεν; ἀμφίβληστρα γὰρ τοίχων ὁρᾷς
ὑψηλὰ· πότερα δομάτων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν οὖν καθοίμεθ' ἄν;
ἢ χαλκότευκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς
ὧδ' οὐδὸν ἔσιμεν;

et ita quidem amici verba se intellexisse ostendit Pylades in iis quae a v. 110 respondet:

Ὅταν δὲ νυκτὸς ὄμμα λυγαίας μόλῃ,
τολμητέον τοι ξεστὸν ἐκ ναοῦ λαβεῖν
ἄγαλμα πάσας προςφέροντε μηχανάς.

ὅρα δὲ γ' εἴσω τριγλύφων ὅποι κενὸν
δέμας καθεῖναι.

ascendendum igitur et inde corpus demittendum esse dicit, alterum autem consilium quod proposuit Orestes, non commemorat, recte quidem, nam strepitu in effringendis portis facto futurum fuit, ut statim proderentur. *τοί* post *τολμητέον*, quod Koechlyus in *νώ* mutavit, retinendum est, confirmat enim Pylades, quod Orestes dixerat, rem utique audendam esse, quamquam ex duabus propositis rationibus alteram tantum probat; sed illud recte perspexit Koechlyus, *ὅρα* non aptum esse loci sententiae; mihi tamen non *ῥᾷστον* scribendum esse videtur, nam hoc scire non poterat Pylades, num facillimum factu esset demittere corpus per triglyphos, at vero facilius id fore quam vi effringere portas manifestum erat, qua propter *ῥᾷον* quod propius abest a vulgata lectione, praetulerim. Ceterum, quum Pylades aperte respiciat ea quae supra suasit Orestes, ipso illo, quo utitur, verbo *καθεῖναι*, conjectura mea *καθοίμεθα* commendari videtur. Hoc etiam persuasum habeo, non *ὅπου* sed *ὅποι* scribendum esse, ea enim vis est attractionis in verbis *εἴσω* et *δέμας καθεῖναι.*

A v. inde 251 unus ex pastoribus Iphigeniae narrat, quomodo sibi suisque contigerit, ut quum armenta ad maris litus egissent, duos juvenes Graecos diu multumque repugnantes caperent. Horum juvenum in antris delitescentium alterum vesania captum ultro procurrisse et furiarum sibi quasdam species videre visum esse, exclamantem:

v. 276. *Πυλάδη, δέδορκας τήνδε; τήνδε δ' οὐχ ὁρᾷς*
Ἅιδου δράκαιναν ὥς με βούλεται κτανεῖν
δειναῖς ἐχίδναις εἰς ἔμ' ἐστομωμένη;
ἡδ' ἐκ χιτώνων πῦρ πνέουσα καὶ φόνον
πτεροῖς ἐρέσσει μητέρ' ἀγκάλαις ἐμὴν
ἔχουσα πέτρινον ὄχθον ὡς ἐπεμβάλῃ.
οἴμοι κτενεῖ με, ποῖ φύγω;

v. 279 *ἡ δ' ἐκ χιτώνων* quin corruptum sit, dubium non est. Qui ita indicari dicunt, nudam fuisse furiam, non vident, tale quid comicum quidem poetam dicere posse, tragicum autem prorsus dedecere. Kirchhoffius *ἡ δ' ἐκ τρίτων αὖ* conjecit, id quod Koechlyus in textum recepit; sed et insolentius hoc dictum est, et fortasse propterea minus aptum huic loco, quod in tanta, qua tum agitabatur Orestes,

animi perturbatione, verisimile non est, eum ita dinumeraturum fuisse furias. Rauchensteinius in disputatione de locis aliquot Euripidis Iphigeniae Tauricae, qua solemnia saecularia quarta universitati Basiliensi congratulatus est, scribi vult *ἡ δ' αὖ τρίτη νῦν.* Proxime ad codicum scripturam accedit Heinischii collegae dilectissimi conjectura: *ἡ δ' ἔκχυτον νῷν:* Haec autem effuse in nos ignem caedemque spirans q. s. Equidem Euripidem *ἡ δ' ἐξ ἐχιδνῶν* scripsisse eamque vocem de industria magna cum vi hic repetivisse puto, declarat enim quantopere tum maxime excruciatus sit Orestes conscientiae stimulis. Quomodo autem hoc *ἐξ ἐχιδνῶν* intelligendum sit, videbis si tibi effinxeris animo speciem illius furiae ei imminentis ita ut angues, capillis intorti qui erant, prominentes atque in eum intenti os furiae undique circumdarent, quo factum sit, ut illa ex anguibus ignem caedemque spirare videretur. Verba *πτεροῖς ἐρέσσει μητέρ' ἀγκάλαις ἐμὴν ἔχουσα πέτρινον ὄχθον ὡς ἐπεμβάλῃ* Klotzius ita interpretatur, ut sit, alis remigare ad rupem saxeam, in qua consederit Orestes. Sed supra dicit poeta: *ἔστη κάρα τε διετίναξ' ἄνω κάτω·* neque verisimile est hominem furore captum consedisse, praesertim quum undique maximis terroribus agitaretur. Praeferenda igitur haud dubie eorum sententia est, qui ad vocem *μητέρα* referunt *πέτρινον ὄχθον;* nam quo majorem ei matris species, quam manibus tenere videbatur furia, injiciebat terrorem, eo significantius eam cum ingenti saxea mole, quae capiti suo immineret, comparare potuit.

Post versum 284 Kirchhoffio nonnulla excidisse videntur, qua tamen in re cum eo consentire non possum, nam omnia plana sunt, et apte inter se nexa. Dicit enim pastor, non easdem furiarum quales initio vidisset, imagines obversatas esse turbatae menti Orestis, sed mox eum ipsos boves et canes, quorum voces ut a furiis emissas imitabatur, furiarum loco habuisse, strictoque gladio in eos impetum fecisse. Itaque si poeta pastorem haec narrantem inducit:

παρῆν (sc. *αὐτῷ ὁρᾷν*)
οὐ ταὐτὰ μορφῆς σχήματ', ἀλλ' ἠλάσσετο
φθόγγας τε μόσχων καὶ κυνῶν ὑλάγματα,
ἅ' φασκ' Ἐρινῦς ἱέναι μιμήματα.

nihil desideratur, satis enim ita explicantur proxime sequentia, in quibus explicatur, cur mortis metu correpti sint pastores, et cur Orestes in armenta irruerit, quippe quae jam pro ipsis furiis haberet, id quod apparet ex verbis: *δοκῶν Ερινῦς θεὰς ἀμύνεσθαι τάδε.*

A v. 319 inde haec leguntur:

Ἀλλ' ἦν ἄπιστον, μυρίων γὰρ ἐκ χερῶν
οὐδεὶς τὰ τῆς θεοῦ θύματ' εὐτύχει βαλών,
μόλις δέ νιν τόλμῃ μὲν οὐ χειρούμεθα,
κύκλῳ δὲ περιβαλόντες ἐξεκλέψαμεν
πέτροισι χειρῶν φάσγαν' q. s.

Hic si Musgravius putat, pastorem innuere, non sine numine divino evenisse, ut nemo victimas deae attingeret, errare mihi videtur, nam primum illud quod praecedit *ἤρασσον πέτροις*, non potest simpliciter esse, „petebant lapidibus", sed percutiebant, deinde pastor non potuit dicere: *πέτροισιν ἐξεκλέψαμεν χειρῶν φάσγανα*, si nemo eos attigisset. *εὐτυχεῖν βαλόντα* de eo dicitur, qui hostem ad mortem ferit; itaque attigerunt eos quidem, sed idem hic valet *οὐδεὶς εὐτύχει βαλὼν* quod apud Homerum Iliad. XI, 439. *οὔ τι βέλος κατακαίριον ἦλθεν.* Merito autem interpretes offenderunt in voce *ἐξεκλέψαμεν*, nam vere quidem nuntius dicit, audaciam sibi suisque defuisse ad pugnam cominus ineundam, sed vi tamen usi sunt, quippe qui ab omni parte lapidibus eos petierint, remque eo adduxerint lapidum conjectu, ut illi contusis debilitatisque brachiis et manibus gladios tenere non amplius possent. Quum inde appareat, furto locum non fuisse, Euripidem *ἐξεθλίψαμεν* scripsisse putaverim, „elisimus", quod verbum hic rei naturae et pastoris personae accommodatum est, et eodem fere significatu apud Xenophontem occurrit Anab. l. III, c. 4, § 11 et 12. Koechlyus v. 328 pro *πέτροισι* scripsit *πέπλοισι* quod propterea probandum non videtur, quia verisimile non est, miseros illos pastores peplos habuisse, aut si habuissent, ausuros fuisse, ad Pyladem et Orestem, quos adeo expaverant gladiis armatos, tam prope accedere, ut peplos iis injicere possent.

Sub finem antistrophae *β'* stasimi primi, chorus dicit, nil sibi gratius contingere posse quam nuntium, nautarum aliquem e Graecia venisse servitutis suae miseriis finem impositurum: Ita deinde pergit:

v. 437. *Καὶ γὰρ ὀνείρασι συμβαίην*
δόμοις πόλει τε πατρῴᾳ
τερπνῶν ὕμνων ἀπολαύ-
ειν κοινὰν χάριν ὄλβῳ.

Hermannus, qui verba *ὀνείρασι συμβαίην* nec sententiae nec metro apta esse dicit, Euripidem scripsisse putat:

καὶ γαρ ὀνείροις ἐπιβαίην
δόμοις πόλει τε πατρῴᾳ,

utinam vel per somnium pedem ponam in domo mea et patria in urbe. Ex proxime praecedentibus autem

Ἑλλάδος ἐκ γᾶς
πλωτήρων εἴ τις ἔβα
δουλείας ἐμέθεν
δειλείας παυσίπονος·

satis intelligitur, chorum jam ita sibi animo effinxisse speque praecepisse rem, ut non per somnium sed vere ab illo nauta servituti ereptus et in patriam reductus sibi videretur. Kirchhoffius scribendum esse censuit:

εἰ γὰρ ὀνείροισι συνείην·

Koëchlyus

εἰ γὰρ ὀνείροις ἴσα συμ-
βαίη μοι·

Kviçala neglecta responsione versuum

εἰ γὰρ ὄνειροι συμβαῖεν

id tamen recte monuit, corruptelae causam latere in voce *ὀνείρασι*, quod vitium ubi semel in textum irrepsit, in eum errorem induxit interpretes, ut non nisi de somniis hic cogitandum esse putarent, id quod mihi nec praecedentia nec sequentia videntur suadere. Quid? si Euripidem scripsisse statuamus:

Καὶ γὰρ ὄνειαρ σύγε φαίης q. s.

Hoc enim mihi dicere videtur coryphaeus ad chorum conversus: Etenim tu certe perjucundum esse affirmaveris, patria in domo et urbe frui cantuum suavitate, quae communis est opulentiae voluptas.

Quae v. 561 et 62 leguntur:

Φεῦ φεῦ, τί δ' ημεῖς οἵ τ' ἐμοὶ γεννήτορες;
ἆρ' εἰσίν; ἆρ' οὐκ εἰσί; τίς φράσειεν ἄν;

sine idonea causa criticis suspecta videntur. Nauckius scribendum esse putat:

τί δ' ἡμῶν εἰσιν οἱ γεννήτορες;

Koechlyus: . . . *ἡμῖν οἱ φίλοι* . . . .
Rauchensteinius: . . . *ἡμῶν φίλτατοι* . . . .

Sed ad praecedentia si respicimus, ubi Orestes ostendit, et parentes suos periisse et ipsum ad exitium vocatum esse, minime ineptum nobis videtur illud chori cum dolore exclamantis *τί δ' ἡμεῖς;* dummodo aposiopesis signum addatur, cogitatione enim: *μῶν οὐκ ὀλώλαμεν;* supplendum est; de servitute sua cogitat, quam Graeci morte pejus perhorrescebant; nam animis vehementer commotae fuerant virgines, utrumque, de quo conquestus erat Orestes, et ipsis accidisse reputantes; fieri enim posse, ut parentes diem jam supremum obierint, et periisse se quoque utpote miseram in servitutem abreptas. Id ipsum autem, quod hic maxime reprehenditur, quod chorus in primam singularis numeri personam transit, et rei naturae et ingeniis mulierum prorsus consentaneum est, indicat enim, suorum uniuscujusque animo parentum memoriam obversari. Nihil igitur mutandum et locum sic interpungendum esse puto:

Φεῦ φεῦ, τί δ' ἡμεῖς; — οἵ τ' ἐμοὶ γεννήτορες
ἆρ' εἰσίν; ἆρ' οὐκ εἰσί; τίς φράσειεν ἄν;

Dum Iphigenia etiam anceps haeret, utrum Orestem fratrem esse credat necne, ab eo petit, ut certa sibi quaedam documenta edat, quibus animo ipsius omnis dubitatio eximatur. Morem igitur ei gerit Orestes et ex arcanis domesticis ea profert, quae praeter eum et sororem scire nemo potuit. Inter alia eam admonet aquarum sponsalium v. 803 quas mater Aulidem ex more ei miserit:

O. *Καὶ λουτρ' ἐς Αὖλιν μητρὸς ἀνεδέξω πάρα;*
I. *οἶδ' οὐ γὰρ ὁ γάμος ἐσθλὸς ὢν μ' ἀφείλετο.*

Ad *μ' ἀφείλετο* nonnulli, veteris scholiastae glossema secuti supplent: *τὸ μὴ εἰδέναι*: scio, neque enim nuptiae probae mihi abstulerunt ejus rei memoriam. Koechlyus pro *οὐ γὰρ* in textum recepit *εἶτ' ἄρ'* scilicet quo tempore bonae illae nuptiae me e patria abduxerunt. Mihi autem hoc dicere videtur Iphigenia: Scio ista me lavacra a matre accepisse, nuptiae enim probae si fuissent, ea mihi non abstulissent, i. e. eo quod irritae et fallaces fuerunt istae nuptiae, factum est, ut aquis sponsalibus a matre missis uti non potuerim, ejusque fraudis dolor effecit, ut illius rei oblita non sim. Scribendum igitur esse puto:

Οἶδ' οὐ γὰρ ὁ γάμος ἐσθλὸς ὢν μ' ἀφείλετ' ἄν.

Objectum autem *λουτρα* tam prope abest, ut ad verbum *ἀφείλετο* unde pendet, facile cogitatione suppleatur. Idem video placuisse Bergkio (cf. Mus. Rh. a. c. vol. II, p. 213) mutato verborum ordine scribenti:

Οἶδ' οὐ γὰρ ἐσθλὸς ὁ γάμος ὢν μ' ἀφείλετο.

Sed vereor, ne ita effici non possit, ut negatio ad adjectivum *ἐσθλός* referatur, nam *οὐ* magna cum vi initio positum et interjecta particula *γὰρ* ab adjectivo separatum non alio nisi ad verbum finitum referri potest, i. e. *εἰ ἐσθλὸς ἦν ὁ γάμος, οὐκ ἂν μ' ἀφείλετο αὐτά*, aut dicendum fuit, quod hic per metri leges non licet: *ὁ γάμος ἐσθλὸς οὐκ ὢν μ' ἀφείλετο.*

Postquam Orestes eo pervenit, ut dubitanti satis persuaderet Iphigeniae, fratrem se esse, haec summam animi laetitiam, qua effertur, melico carmine vividissimis cóloribus depingens inter alia v. 819 dicit:

Τότ' ἔτι τότε βρέφος ἔλιπον ἀγκάλαις
σὲ νεαρὸν τροφοῦ νεαρὸν ἐν δόμοις,
ω κρεῖσσον ἢ λόγοισιν εὐτυχῶν ἐμοῦ
ψυχά, τί φῶ; θαυμάτων πέρα καὶ λόγου
πρόσω τάδ' ἀπέβα.

Versum 821 ita interpretatur Klotzius: „O plus quam pro rationibus meis fortuna valens“. Ad Orestem igitur haec refert, et *λόγοισιν ἐμοῦ* conjungit, ubi *μοῦ* non *ἐμοῦ* exspectaveris. Est tamen quod jure miremur, cur plus quam pro rationibus suis fortuna valentem praedicet Orestem, quem morti destinatum mox immolatura sit Iphigenia; immo se ipsam felicem praedicat, quod frater, quem parvulum domi reliquerit, inopinanti atque insperanti sibi redditus sit. Quod quum ita esse sensissent Koechlyus et Rauchensteinius, recepta Hartungii conjectura,

alter: *ὦ κρεῖσσον ἢ λέγοι τις εὐτυχεῖν ἐμέ.*
alter: . . . . *εὐτυχοῦσ' ἐγώ.*

emendavit. Fateor tamen mihi non probari Hartungii conjecturam *ἢ λέγοι τις*, nam idem significat quod proxime sequitur *λόγου πρόσω*, nec verisimile est, poetam tam brevi spatio interjecto eandem sententiam repetiturum fuisse. Scribo igitur: *ὦ κρεῖσσον ἢ λόγοισιν εὐτυχοῦσά μου ψυχά, τί φῶ;* o melius quam nuntiis allatis fortunata anima mea, quid dicam? Hoc enim innuit Iphigenia, se jam nuntio, fratrem vivere, allato felicem futuram fuisse, jam autem non verbis sed reapse felicem redditam esse, fratrem enim se amplexu tenere. Inde etiam in proxime sequentibus

δέδοικα δ' ἐκ χερῶν με μὴ πρὸς αἰθέρα
ἀμπτάμενος φύγῃ

vereri se dicit, ne Orestes ex complexu suo ad coelum avolans se fugiat.

A versu inde 983 Orestes sorori persuadere studet, Dis esse volentibus, ut sibi contingat in patriam reditus; propterea enim Apollinem edito oraculo se jussisse effigiem sororis Athenas transportare, ut videret Iphigeniam. In codicibus hic locus sic scriptus legitur:

Γνώμης δ' ἄκουσον· εἰ πρόσαντες ἦν τόδε
Ἀρτέμιδι, πῶς ἂν Λοξίας ἐθέσπισε,
κομίσαι μ' ἄγαλμα θεᾶς πόλισμ' εἰς Παλλάδος
καὶ σὸν πρόσωπον εἰςιδεῖν; ἅπαντα γὰρ
συνθεὶς τάδ' εἰς ἓν νόστον ἐλπίζω λαβεῖν.

Quum satis constet, hoc Apollinem vaticinatum non esse, fore ut Iphigeniam videret, Musgravius conjecit: *καὶ σὸν πρόσωπον ἦγ' ἰδεῖν*, et Koechlyus inter versus 985 et 986 nonnullos versus excidisse statuit, in quibus exposuerit poeta, quam mirum in modum Diana conservatam in Tauros transtulerit Iphigeniam, ipsumque Orestem eo adduxerit Apollo, ut videret sororem. Nullum autem apparet in libris lacunae vestigium, neque hic statuamus necesse est, aliquid excidisse; nam etiamsi pauca tantum dicit Orestes, iis tamen et initia rerum et exitus continentur, quae autem multa interposita erant media, tam probe noverat Iphigenia, ut ea tacere posset Orestes et tamen dicere *ἅπαντα συνθεὶς τάδ' εἰς ἕν*. Praeterea ne verba quidem *καὶ σὸν πρόσωπον εἰσιδεῖν* nos cogunt, ut multa hic desiderari putemus, nam verum quidem est, non diserte Apollinem praedixisse, futurum esse ut videret sororem, nihilominus tamen est quo defendi possit particula *καί;* illo enim tempore quo haec dicebat Orestes, non amplius poterat dubitare, quin rectius Apollinis mentem percepturus fuisset, si oraculum modo editum statim non tam ad Dianam quam ad suam ipsius sororem retulisset; suo igitur jure asserere tum quidem potuit, id etiam sibi vaticinatum esse deum. Quod si cui fortasse minus recte dictum videatur, malim tamen pro *καί* substituere *ὡς:*

ὡς σὸν πρόσωπον εἰσιδεῖν.

quam concedere, lacunosa esse quae hic dicit Orestes.

Dum Iphigenia cum captivis et deae signo ad mare piaculi causa descendit, chorus melico carmine laudes Apollinis praedicat. Latonam, quum in insula Delo Apollinem et Dianam peperisset, inde in Parnassum montem detulisse liberos, ubi ingens Python serpens terrae hiatum, unde Themidis oracula edebantur, custodiebat; hoc immani dracone, qui aditu eum prohibebat, interfecto Apollinem oraculum

occupasse dicit. His similia fere Apollodorus narrat l. I, 4, 3: *Ἀπόλλων ἧκεν εἰς Δελφούς, χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος· ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει.*

v. 1215 haec leguntur:

Ὅθι ποικιλόνωτος οἰνωπὸς δράκων
σκιερᾷ κατάχαλκος εὐφύλλῳ δάφνᾳ.
γᾶς πελώριον τέρας, ἄμφεπε
μαντεῖον χθόνιον.

κατάχαλκος cujus in locum Hermannus *κατάχλαινος* Koechlyus *καθελικτός* substituit, corruptum esse recte monuit Kirchhoffius; manifesta tamen genuinae scripturae vestigia in hac voce insunt, quae secutus et rei et metri ratione habita scribendum esse puto:

σκιερᾷ κατὰ χάσμ' ὑπ' εὐφύλλῳ δάφνᾳ

juxta terrae hiatum sub umbra frondosae lauri.

In iis, quae deinde nuntius a v. 1297 Thoanti regi narrat de fuga Graecorum, v. 1350

κἂν τῷδε, δεινὸς γὰρ Κλύδων ὤκειλε ναῦν
πρὸς γῆν, φόβος δ' ἦν .... μὴ τέγξαι πόδα.

Cod. B. lacunae signum habet, quam variis modis explere conati sunt critici. Aldus ejecta negatione *μή* vocem *ναυάταις* a secunda manu additam, Klotzius, quod in Cod. C. legitur, *ὥστε μή* in textum recepit; Badhamus *φόβος δ' ἦν παρθένῳ τέγξαι πόδα*, Kviçala *φόβος δ' ἦν νηΐ μὴ τ. π.* conjecit, qui tamen, quod probandum non est, *πόδα* veli pedem hic esse contendit. Koechlyus pro *ὥστε μὴ* scripsit *ἱερίαν*. Sed verum ut fatear, equidem, quotiescunque ad examinandum hunc locum redii, nunquam a me impetrare potui, ut crederem, nautas et Orestum ipsum illo tempore, quo periculum erat, ne navis litori illisa frangeretur, id unum metuisse, ne Iphigeniae pedes undis tingerentur; hoc enim prorsus alienum erat a moribus Graecorum, qui non tanta, quanta nunc fere fit, adulatione mulierculas venerari solebant, neque ipsam tam tenui valetudine fuisse Iphigeniam crediderim, ut pedibus humectatis statim gravedine afficeretur; sed multo graviora tum mala, ut ex praecedentibus intelligimus, metuenda erant, ne, dum aestu reciprocante longius navis abriperetur, totum fugae consilium ad irritum caderet; fieri enim potuit, ut

interim Iphigenia Orestes et Pylades, qui in litore inermes stabant, a famulis regiis, quos adhuc nautae sagittis missis procul arcuerant, impetu facto caperentur. Celerrime igitur hoc ipso temporis momento, quo peropportune navis propius ad litus admota erat, utendum esse intellexit Orestes, et quo citius id exsequeretur, Iphigeniam, ne pedes ejus undis tingerentur, (hoc enim sorori frater debebat) in sinistrum humerum impositam per scalas ascendens in navem intulit. Multo igitur plura post φόβος δ' ἦν, quam quibus opus est ad unum hunc versum explendum, quin exciderint, non est quod dubitemus.

Nachrichten über das Schuljahr 1862—63.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

In den 6 Klassen, von denen eine, die Tertia der allzugrossen Frequenz wegen im Sprachunterrichte in zwei örtlich getrennte Kurse getheilt war, sind folgende Lehrgegenstände abgehandelt worden:

In Prima.

Religion. 2 St. wöchentlich. Die Glaubenslehre von der Heiligung des Menschen und die Sittenlehre nach Martin. Herr Proregens Licentiat Langer.

Für die evangelischen Schüler 2 St. Lesen des Römerbriefes im Grundtext. Einleitung in die Bibel. Geschichte der einzelnen christlichen Kirchen und Sekten. Kirchenlieder mit Berücksichtigung des darin enthaltenen Gedankenganges. Hr. Sup. Richter.

Deutsch. 3 St. Philosophische Propädeutik, allgemeine Uebersicht der deutschen National-Literatur. Uebungen in der Declamation und im freien Vortrage. Lesung und Erklärung von Schillers Wallenstein. Korrektur der monatlich über folgende Themata gelieferten Aufsätze:

1) Autobiographie der neu eingetretenen Schüler.
2) Sagt Cicero mit Recht, dass die Römer sich nie hochherziger gezeigt haben als nach der Schlacht bei Cannä?
3) Wo grosse Höh' ist grosse Tiefe.
4) Sieh, da entbrennen im feurigen Kampf die eifernden Kräfte; Grosses wirket ihr Streit, Grösseres wirket ihr Bund.
5) In Deiner Brust sind Deines Glückes Sterne.
6) Wie ist es zu erklären, dass einer Frau gelingt, was Männer vergebens erstreben, Wallenstein zum Bündniss mit den Schweden zu bewegen?

7) Vergleichung Wallensteins und J. Cäsars in Beziehung auf die Aeusserung des Ersteren: Was thu' ich Schlimmres, als jener Cäsar that? u. f.

8) Das ist der Fluch der bösen That, dass sie fortzeugend Böses muss gebähren.

9) Ueber die Nothwendigkeit der Selbstbeherrschung.

10) Mit leichtem Muthe knüpft der arme Fischer
den kleinen Nachen an im sich'ren Port,
sieht er im Sturm das grosse Meerschiff stranden. (Abiturientenarbeit.) Der Director.

Latein. 8 St. Horat Epist. I. 1, 2, 3, 4, 6, 10, 12, 15, 19, 20. Od I. memorirt wurden Od. 1, 3, 4, 7, 15, 22, 28. Erklärung der Horazischen Versmaasse. 2 St. Herr Prof. Dr. Schramm. Cic. de Off. III. stat: theilweise memorirt. Liv. VI. Tacit. Germ. Agric. Dialog. kurs. Grammatik nach Meiring, die Lehre von den Modis. Stilübungen. Korrektur der monatlichen Aufsätze über nachstehende Themata:

1) Quibus actibus Pisistratus solus rerum Athenis potitus sit quæritur.

2) Num recte dixerit Cicero, Romanos Cannensi calamitate accepta majores animos habuisse, quam unquam rebus secundis.

3) Quid sibi proposuit Sophocles in scribenda Ajace?

4) An recte Horatius populum Romanum comparavit cum hydra Lernaea?

5) Tam dirae necessitati obnoxia sunt malefacta, ut ex sese nova semper pariant.

6) Quomodo Graeci malis ex multitudine civitatum ortis mederi conati sunt?

7) Graecorum de principatu contentiones.

8) Num soli Atheniensium levitati tribuendum est, quod viros optime de republica meritos in exsilium egerunt?

9) Num unquam veteres respublicae libertate usae sunt?

10) Pauci tantum sunt, qui se ipsi regere et ratione sapienter uti possunt.

11) Num verum est, quod Cic. de Off. III 22 dicit, senatum Romanum nunquam utilitatem a dignitate sejunxisse? (Abiturientenarbeit) in 6 St. Der Director.

